



CONTROVERSIA II.

De criminibus exceptis in quorum causis appellatio, vel supplicatio locum non habet.

SUMMARIUM.

- 1 Appellatio in criminalibus generaliter denegatur pluribus in Regnis.
- 2 Appellatio generaliter in omnibus causis ex juris regula admittenda est.
- 3 Appellatio ex juris dispositione pluribus in causis denegatur.
- 4 Appellatio jure digestorum denegatur quoties publice interest quod statim rei puniantur.
- 5 Text. in l. Constitutiones 16. ff. de appellat. expenditur.
- 6 Dictiones ut & veluti exemplificativæ sunt.
- 7 Text. in leg. si quis filio 6. §. quid tamen, ff. de injust. rupt. expenditur.
- 8 Dispositio Text. in d. l. constitutiones, generalis est.
- 9 Text. in leg. 2. C. quorum appell. non recip. expenditur.
- 10 Confessus sponte comprehenditur sub dispositione dict. leg. 2. C. quor. appellat.
- 11 Jure partitarum correctæ est dispositio dict. l. 2. cum alternative in convictum & confessum appellatio deneganda veniat.
- 12 Leg. 101. in Cod. stili expenditur ibi.
- In Regno Valentia cause criminales per Regiam Audientiam decisa supplicationem non admittunt.
- 13 Catalonia antiquitus nulla causa criminalis appellationem admittebat.
- 14 Aragonie quomodo appellationes seu supplicationes in causis criminalibus recipiantur.
- 15 In Regnis Castellæ que sit praxis quoad appellationes causarum criminalium.
- 16 L. 16. tit. 23. part. 3. expenditur.
- L. 16. desumpta fuit ex d. l. & ex 2. d. l. constitutiones; ob quod secundum eas debet interpretari.
- 17 Confessio rei in tortura extorta pro spontanea habetur quando ratifica-

- tur extra torturam.
- 18 Convictus quis dicatur juxta d. l. 16. part.
 - 19 Testes idonei an esse debeant omni exceptione majores.
 - 20 Testes in criminalibus majores omni exceptione requiruntur.
 - 21 Appellatio ut denegetur juxta d. l. 16. part. 2. crimen probari debet, per testes omni exceptione majores secundum aliquos.
 - 22 Qualitas requisita in teste per legem probanda venit ab actore.
 - 23 Testes in criminalibus quantum graviora judicia civilibus sint, majorem delectum desiderant.
 - 24 Testes idonei non solum confendi sunt majores omni exceptione.
 - 25 Testes omni exceptione majores reperiri perdifficile.
 - 26 Testes idonei in jure qui dicantur.
 - 27 Testes idonei sufficient ad probationem criminum juxta dict. leg. 16. partit.
 - 28 Fœmina idoneus testis est secundum jus nostrum.
 - 29 Secus in Regno Valentia.
 - 30 Minor viginti annorum habens decimum & sextum impletum, idoneus testis est.
 - 31 Majores 14. annorum juxta forum Valentia, testes idonei sunt.
 - 32 Socii criminis regulariter testes idonei non sunt.
 - 33 Socii criminis in atrocioribus & difficultis probationis criminibus, idonei testes sunt; quoniam aliter veritas haberi nequit.
 - 34 Præsertim concurrentibus administris.
 - 35 Et si in tortura ratificentur ac de se fident de Socio, deponant.
 - 36 In criminibus occultis parum curari debet de repulsa personas testium tangente.
 - 37 Domesticus idoneus testis est ad probationem eorum, que in reconditis domus patrantur.
 - 38 Probatio regularis exposcitur per d. l. 16. partit.
 - 39 Lex Regni desumpta à jure communi legaliter interpretanda est ab eodem jure.
 - 40 Leg. 14. tit. 1. part. 1. & l. 1. tit. 1. lib. 2. recopil. expenduntur.
 - 41 Interpretatio legis per Principem facienda

- facienda est generalis que causas omnes comprehendit, per Judices autem solum causam de qua agitur.
- 42 Scientia legalis permittitur in Regno publice legi, ut subditi erudiantur ad causas decidendas.
 - 43 Dispositio legis 16. non est arctanda ad casus in ea expressos, quia per modum exempli exprimuntur.
 - 44 Concludens probatio per iudicia in supremis Tribunalibus comprehenditur sub decisione dictæ leg. 16. part.
 - 45 Doctores contrarium tenentes loquuntur de Judicibus inferioribus.
 - 46 Iudicia æquiparantur idoneis testibus.
 - 47 Decisio Aule suprema criminalis.
 - 48 Blasphemia crimen appellationem non admittit.
 - Blasphemia criminis gravitas. ibid.
 - 49 Convictus vel confessus tantum in crimine Blasphemie appellans, non auditur.
 - 50 Avendanni doctrina quoad appellationem in crimine blasphemia explicatur.
 - 51 Praxis Aule quoad Blasphemos.
 - 52 Officialis delinquens in officio, appellans non auditur.
 - 53 Limita in Syndicatu quoad devolutivum.
 - 54 Praxis Aule quoad officiales in officio delinquentes.
 - 55 Notorium crimen appellationem non recipit.
 - 56 C. consuluat 14. de appell. expenditur.
 - 57 Belluga doctrina quoad punitionem Notorii celebratur.
 - 58 Praxis difficultas quoad punitionem notorii, ordine juris non servat.
 - 59 Exemplaria similis punitionis referuntur sed non absque querelis.
 - 60 Crimen notorium paratum in hac Curia, in quo Aula processit, juris ordine servato.
 - 61 Decretum de torquendis reis appellationem ex consuetudine non admittit.
 - 62 Jure cautum est quod à decreto questionis appellatio admittatur.
 - 63 In supremis Tribunalibus à decreto tortura non recipitur supplicatio.
 - 64 Decretum de torquendo in scripturis non apponitur, juxta praxim Aule quousque reus in loco tortura ponatur.
 - 65 Appellationi frivola nunquam est deferendum.
 - 66 Judices inferiores ut in Curia decretum tortura, seclusa appellatione exequantur Aulam nostram consulunt, & num. 68.
 - 67 Tortura decretum postquam per Aulam deliberatum est, committitur Præsecto Curia qui de causa cognoscit.
 - 69 Verberum pena de consuetudine appellationem non admittit.
 - 70 Verbera non solum ad panam, sed ad cruciatum in usu Romanis suere.
 - 71 Verberum frequentior usus ad panam infimæ sortis hominibus.
 - 72 Fustigationem & flagella inter, differentia.
 - 73 Fustium pena modica castigatio reputabatur, flagellorum acerba.
 - 74 Fustigationis pena in usu apud nos est in plebeios, Pro levioribus etiam criminibus.
 - 75 Verberum pena Nobilibus nequit imponi.
 - 76 Verberum pena tam jure civili, quam Canonico & Hispano ad correctionem inducta est.
 - 77 Que ad correctionem morum disponuntur appellationem non recipiunt.
 - 78 Verberum excusio apud Hispanos non perficitur acerbè, sed leniter.
 - 79 Crimen, non panam, infamiam irrogat.
 - 80 Aula nostra tanquam obtinens supremam in criminibus jurisdictionem similem Præsecto Prætorio, potestatem habet verberandi in honore constitutos.
 - 81 Quando similibus hæc pena imponi possit.



DOCTISSIMUS Sigismundus Scaccia lib. 1. de Judic. crim. c. 97. n. 2. & de appellat. quæst. 17. lim. 48. aulus fuit dicere in criminalibus nunquam appellationem admitti. De Belgicis, Germanis, & Mediolanensibus tradunt Iodoquius in praxi, cap. 149. num. 2. Clarus quæstion. 94. num. 3. Daniel Morel. semest. 3. c. 33. Ant. Matthæus lib. 48. ff. tit. 20. c. 4. num. 25. De urbe Romæ Farin. q. 101. num. 98. De toto Statu Ecclesiæ Bajard. ad Clar. d. q. 94. n. 8. & 22. De Hispania testatur Covar-

ruvias *pract. c. 23. n. 5. v. usus tamen*, Bobadilla *in politic. lib. 5. c. 3. num. 86. Sigism. Scacc. d. c. 97. n. 62. & Farin. ubi prox. n. 156.* Hoc enim valde difficile redditur attentâ dispositione juris ob quod breviter quantum materia permittere possit, enucleandum est.

Regula generalis à jure constituta reperitur per quam appellationi rei condemnati deferendum esse statuitur: ita docet Ulpianus *in lib. 1. ff. de appellat. & ibi communiter Doctores, & de jure nostro lib. 1. & tot. tit. 23. par. 3. l. 6. & 13. tit. 8. lib. 4. recopilat.* Quod ut ait Ulpianus *in l. Non tantum 6. ff. de appellat. majori cum ratione procedit quam in civilibus: quare non solum condemnato appellare permillum est, sed cuicumque sine discretionem necessitatis, quia cum executio sententiæ contineat ut plurimum damnum irreparabile, etiam si reus resistat, appellationi deferendum est. Probant pluribus hanc conclusionem Donell. lib. 28. comm. c. 7. & ibi Illiger. lit. A. & B. Farin. d. g. 101. num. 1. cum seq. Petrus Gregor. *synagm. jur. lib. 50. c. 2. numer. 18. Sigism. Scacc. de appellat. g. 16. numer. 1. cum seq. Gregor. Lopez in d. l. 1. tit. 23. par. tit. 3. Azevedo in d. l. 6. & 13. tit. 18. lib. 4. recopil. Ant. Gomez var. lib. 3. cap. 13. num. 31. & ibi Aillon in add. Cancr. var. l. 1. d. c. 17. num. 13. Valenzuel. *conf. 155. numer. 1. cum seq. Guazzini. ad defen. reor. defen. 36. cap. 3. ex numer. 1. Marius Giurba observ. 114. ex numer. 4. Joan. Baptist. de Thoro in Cod. rer. judic. cas. 37. numer. 3. August. Barbof. in c. ut debitus honor. 59. de appellat. num. 13. Sesse de inhib. cap. 2. §. 3. numer. 88. Bobadill. d. lib. 5. cap. 3. num. 75. & seq. Regens Viola in docto tract. de Fugitivis, c. 19. §. 1. n. 7. Don Joan. Sorçano de jur. Indiar. tom. 2. lib. 4. cap. 10. 57. cum seq. Salgado de regia protect. part. 3. cap. 14. num. 1. cum seq. cum aliis quos laudavi tom. 2. de regim. c. 8. §. 9. num. 85. & seq.***

Verum quia reperiuntur plura crimina in quorum detestationem à jure cautum est quod appellationi non deferatur ex *Text. in l. constitutiones 19. ff. de appellat. lib. 2. Cod. quor. appellat. non recipiant. l. 1. §. 1. de Fals. monet. l. fin. C. de rap. virg. c. pervenisti de testib. c. consuluit de appellat. l. 17. tit. 10. part. 3. l. 16. tit. 23. eadem part. & utrobique, Gregor. Lopez l. 6. tit. 18. lib. 4. recipi. ubi Azevedo. Imo si res ab origine repe-*

tatur per l. 10. ff. si filii generaliter quoties poena corpori afflictiva subintrat denegatur appellatio, ut docet Covarruvias ubi proximè, exornant Petr. Gregor. ubi supra num. 20. Farin. g. d. 101. num. 44. cum seq. Cancr. var. lib. 3. cap. 17. num. 19. & 34. Peguer. in *prax. cap. 12. §. 10. ex num. 1. Ant. Gomez d. num. 31. vers. quod tamen, & ibi Aillon. Valenzuela dict. conf. 195. ex num. 24. Guazzini. d. defen. 36. cap. 4. Barbosa ubi prox. numer. 14. Vela de mod. proced. in delict. cap. 10. Torrelanca de jur. spir. lib. 5. cap. 3. num. 23. Bobab. d. lib. 5. cap. 3. ex num. 80. Salgado d. c. 14. ex. 10.*

Qui verò sint isti casus sive crimina, 4 explicant Donell. Scaccia, Farinac. Guazz. Anr. Gomez, Bobadilla & Salgado ubi proximè. Sed notanda est differentia, attenda jurium dispositione: nam de jure Digestorum per d. l. constitutiones 16. ff. de appellat. quoties publicè interest quod statim rei puniantur appellatio recipienda non est, quæ ratio generalis Modestini in eo Textu, licet solum specificet insignes latrones, seditionum eoncitatores & duces factionum, generalem conclusionem defumit, nempe ut quoties damnatos statim puniri publicè interest appellatio deneganda sit. Dicitio enim ut, ibi apposita exemplificativa est, juxta juris legitimam interpretationem, ut colligitur ex l. juris gentium 7. in princ. & §. quinimo, ff. de pact. l. 1. §. interdum l. 2. in princ. ff. de interd. quo notanda est promiscuitas loquendi Jurisconsulti Pauli in d. l. 1. cum exempla interdicatorum proponit de duplicibus verbum instituitur ait ut ubi possideris. De simplicibus verò, veluti exhibita. Notant Bart. Alberic. c. & ceteri Doctores in his juribus. Farin. *conf. 95. num. 6. t. 1. Barbosa de dict. usa freq. dict. 439. num. fin. & dict. 417. n. 1.*

Hæc interpretatio comprobatur ex 7 decisione Text. l. si quis filio, §. quid tamen 9. ff. de injust. rap. quo Ulpianus dum ipsa crimina refert, clausulam generalem in terminis denegandæ appellationis adjecit ibi. nisi forte latro manifestus, vel seditio prærupta factioque cruenta vel alia justa causa. Hunc Textum cuncti Doctores pro concordanti d. l. Constitutiones, apponunt ut Dionisius Gorofredus in not. lit. S, Accurs. in glossa, lit. V, & notant Fulgofius, Romanus, Angel. Carrer. Gigas, Bosius, Boërius, Cartar. & alii relati per

per Salgadum dicto capite 14. numero 31. quibus addendi Innocentius, & Baldus relati per Petrum Belluga in *specul. Princip. Rubric. 11. §. compendioso, numero 13. per me laudati dict. capite 8. §. 10. numero 26. & Farinac. qui hanc sententiam tenuit dict. quæst. 101. numero 81. cum aliis ab ipso congestis. Ex quibus clarè convincitur contra Bartol. Anton. Gomez & alios qui tantum in illis tribus delictis denegandam appellationem ex dict. leg. constitutiones, docuerunt. Imo si res bene perpendantur, cuncti qui tenent in criminalibus generaliter appellationem denegandam esse ex ratione istius Textus, de decidendi causam inducunt, cum publicè interest delicta statim puniri.*

9 De jure Codicis per Textum in dict. leg. 2. Cod. quor. appellat. non recip. reus homicidii, veneni, maleficii, adulterii, & violentiæ si convictus, & confessus sit appellans non auditur: si autem ea simul non concurrant, provocandi licentia non denegatur. Hanc conclusionem probant communiter Doctores in eo Text. & latius omnibus Prosper. Farinac. dict. questione 101. numero 150. cum sequentibus. sequitur Sigismund. Scacc. de *Jud. crimin. lib. 1. capite 98. numero 118. Salgado dict. capite 14. numero 10. sed quoniam Farinac. ibidem. numeram 154. quoad confessum per spontaneam confessionem videatur sentire idem procedere, licet non sine controversia, quam federe distinctionis componere conatur numer. 157. Scacciam allegans dict. n. 118. vers. & hæc propositio, allegando, quos pariter laudat Salgado num. 10. libenter tractationem hujus articuli ad eos remitto.*

10 Et ad nostra jura deveniendo per leges Hispanicæ correctam in pluribus hanc dispositionem clarissimè constat: nam per legem 101. in Cod. styl. in causis poenam corpori afflictivam desiderantibus appellationem denegandam tam quoad definitivam quam quoad interlocutoriam statutum habemus. Verba legis sunt hæc. *En los pleitos criminales en que si fueren probados a muerte, perdimento de miembro, o den. alcada, ni en la sentencia definitiva ni interlocutoria: quo in Text. aperte appellatio denegatur quoties poena capitalis vel mutilationis subintrat quod firmat Christophorus de Paz ibidem, & apertius Dion. D. D. Laur. Matthau, de Re Crim. Pars I.*

11 dacus Covarruvias in dict. capite 23. numero 5. vers. usus tamen, & sequitur Bobadilla dict. lib. 5. cap. 3. num. 86. Scacc. dict. capite 97. vers. patet tertio, de consuetudine Hispaniæ, & Farinacius numer. 156. vers. ubi restatur tam apud Hispanos.

12 Sed ista consuetudo non est uniformis. In Regno enim Valentis in omnibus causis criminalibus definitis per Regiam Audientiam, nulla admittitur supplicatio: nec adhuc in causis nobilium quibus solum patens est remedium consultationis cum Principe transmissio processu, ut latius dixi de regim. tom. 1. capite 4. §. 2. numero 8. & tom. 2. capite 8. §. 9. numero 89. quo forum de his loquentem adduxi: tradidit pariter Excellentissimus Dominus Don Christophorus Crespi observantion. 13. numero 44. In Catalonia Principatu usque ad annum 1599. nulla appellatio, vel supplicatio in criminalibus recipiebatur, & ab eo anno caurum fuit, ut juxta juris dispositiones reciperentur. Probant Jacobus Cancr. var. libro 1. capite 1. numero 11. cum sequentibus, & libro 3. capite 18. numero 19. & 34. Don Ludovic. Peguera in *prax. capite 12. §. 10. numero 1. & sequentibus.* In Aragonia 14 Regno antiquitus de sententiis regio nomine latris per viam recursus cognoscebat Curia Justitiæ, sed postea limitatum in criminalibus nisi in casu nullitatis titus procedendi. Sesse de inhib. capite 1. §. 2. numero 21. & Callistus Ramirez de leg. Reg. §. 25. numero 43. sed jure novissimo omnes sententiæ Criminalis Aulæ illius Audientie executioni mandantur nisi contineant poenam mortis, vel mutilationis, ut probat idem Callist. Ram. dict. §. 25. num. 44. 15 In his Regnis Castellæ juxta dictam leg. 101. styl. & Doctores quos laudavi, num. 11. Appellatio deneganda est, quoties poena capitalis, aut mutilationis imponitur. Sed Anton. Gomez, vie probata auctoritatis, tam in civilibus quam in criminalibus dict. capite 13. numero 31. docet quod generaliter appellatio recipienda est, modo reus sit convictus, modo sit confessus, quem secuti fuerunt Duenas regul. 45. Menchaca usu frequenter. capite 39. cum aliis adductis per Aillon dict. numero 31. quæ contrarietas opinionum explicatione eget, maxime quia hodie communis totius Castellæ

stella praxis regulariter doctrinam Gomezii sequendo appellationem admittit nisi in criminibus exceptis, antiquata proflus in dispositione *dict. leg. stili*, sicque constituta regula quae dicitur appellationem in omnibus causis esse recipiendam, juxta *dict. leg. 1. titulo 23. part. 3. & leg. 6. & 13. titulo 8. lib. 4. recopil.* exceptiones regulae attingenda sunt.

16 In primis per *dictam legem 16. tit. 23. part. 3.* publici latrones, seditiones, raptos, aut vim inferentes virginibus & caeteris honestis feminis, falsantes monetae, aut diplomata Regis, venefici, & homicidae per insidias, sive convicti, sive confessi sint appellantes, non sunt audiendi: per quam correctae manet dispositio *dict. leg. 2. Cod. quor. appell.* nam in ea utrumque copulativè requiritur, nempe quod convicti & confessi simul sint; in nostra vero lege sufficit alterutrum, ut ejus verba manifestè disponunt, ibi: *a quien sea probado por buenos testigos, o por su conocencia fecha en juicio* dictio enim o. Latine, aut, alternativa nostri idiomatis est, ut expressè cavetur in *leg. 24. titulo 11. part. 5.* sic sufficit quod alterutrum adimpleatur, *cap. in alternativis, de regul. jur. in 6. leges cum pupilli, §. disjunctive, ff. de cond. & demonstr. cum vulgatis.* Et licet communis Praeceptor Pichardus in *manuduct. ad prax. part. 4. §. 1. num. 7.* teneat cum Claro utrumque requiri, perperam hanc opinionem sequitur: nam verba Textus aperte convincunt quod sufficit unum lex requisitis, ut tenent Gregori Lopez *ibidem*, & post eum Dueñas *reg. 156. num. 5.* Bobadilla *dict. cap. 3. num. 83.* & sic quotidiana praxis approbatum demonstrat. Et ratio est in promptu; nam *dict. leg. 16.* non solum desumpta fuit ex *dicta leg. 2. C. quorum appell.* sed etiam ex *dicta leg. constitutiones, ff. de appell. ut patet ex criminibus de quibus in ea statuitur; & probant Gregori Lopez & Bobadilla; ubi proxime* ob quod non debet interpretari juxta *dict. leg. 2.* tantum, sed etiam juxta *dict. leg. constitutiones*: & sic quotidie in his criminibus, sive reus convictus reperiat, sive confessus tantum, appellatio, vel supplicatio non recipitur, sed sententia ea non obstante, executioni mandatur.

17 Et quanquam in eo Textu cavetur quod confessio intelligatur emana-

nata in iudicio sponte, sive absque tortura, ut videtur contentum in illis verbis, ibi: *sin premia*, hoc intelligendum est, si reus non ratificetur, aut non perseveraverit in confessis, post viginti quatuor horas, extra torturam: nam, si perseveraverit ea confirmans, habetur pro spontaneè confitente, juxta Textum in *leg. 4. titulo 30. part. 7.* docent Clarus, *questione 94. numero 1.* Dueñas *dicta regul. 156. limitat. 3.* & Bobadilla *dicto capite 3. numero 85. in fine.*

Major difficultas versatur in illis verbis *por buenos testigos, id est per idoneos testes*: quibus videtur cautum quod testes quibus reus convincitur ad hoc, ut in his criminibus appellans non audiat, debent esse omni exceptione majores, ut videtur de mente glossae in *§. item verborum, verbo idoneus, insitut. de inutil. stipulat.* Abbas, Corser. Milanensi Curtii, Paris. Corraf. & aliorum plurium laudatorum per Farinacium *questione 62. numero 2.* imò in omnibus causis criminalibus testes omni exceptione majores desiderantur; quia magni praedicti censentur, ut pluribus probant Farinac. *dicta questione 62. numero 2.* Sebastian. Guazzini *defensione 33. capite 14. numero 5. vers. qui duo testes*, plures de more laudando. Ob quod, quoties crimina contenta in *dicta lege 16.* probata non sint per duos saltem testes majores omni exceptione; denegandam non esse appellationem supplicationemve aliqui ex nostratibus intelligunt. Ut puta quando probarentur per feminas, socios criminis, domesticos, minores viginti annorum & similes testes quibus aliqua exceptio opposita sit. Quibus & addi poterat quod cum lex specificè hanc qualitatè requirat, ut ei fiat satis, necessarium videtur quod per actorem, vel fiscalem articuletur, & plenè probetur in actis, ut cum Aymonè Cravera, Purpurato, Riminaldo & aliis, voluit Farinac. *dicta quest. 62. numero 7.*

Sed his non obstantibus, licet libenter fatear in criminalibus quantum graviora iudicia civilibus sint, testium majorem defectum adhibendum esse, si fieri possit, ut dixerat Anton. Mathaeus *de crimin. libro 48. ff. titulo 15. capite 2. num. 1.* non ex eo quod in

dict. leg. 16. caveatur crimina probanda esse per idoneos testes, fatendum sit requiri omni exceptione majores: nam si debita consideratio adhibeatur, quomodo testes hujus conditionis in omnibus maleficiis reperiri poterunt, si illi qui inculpatè vitæ censentur non solum ea fugiant, verum loca in quibus committi solent: imò si requisita per Doctores ad hoc ut aliquis omni exceptione major censetur, rectè speculentur exclamare possumus cum Sapient. *Quis est hic, & laudabimus eum?* ut in terminis dixerat Cavale. in *practic. de testib. part. 3. n. 34.* relatus per Sebastian. Guazz. *ubi proxime.*

26 Nec in iure idem est idoneus testis, atque omni exceptione major, licet enim plures relati per Fatinacium *dict. quest. 62. numero 1.* hoc tenere videantur, tamen ut ipse explicat *numero 3.* qualitas majoritatis omni exceptione continet in se, plusquam idoneus testis, ita ut hæc in gradu positivo reperiat; illa vero in comparativo, vel superlativo, ut cum Croro. Blanc. Felin. & Mascardo concludit. Ex quibus clarissimè apparet quod in terminis *dict. leg. 16.* sufficit positiva qualitas per quam testis idoneus iure dicatur sine eo quod necessarium sit habere comparativam, vel superlativam qualitatè resultantem ex probatione honestæ opinionis, & laudabilis vitæ vel morum inculpabilium. In iure enim nostro posita reperitur verba illa *por buenos testigos*, & sic quoties testes juxta ejusdem juris regulas idonei reperiantur, vel ad fidem faciendam admisi sint, per idoneos testes crimina probata remanere firmiter tenendum est.

28 Ex quibus resultat quod licet testi obijciatur defectus sexus, nempe quod femina sit, cum iure nostro femina plenam fidem faciant, probat Textus in *leg. 17. titulo 16. part. 3.* quod etiam de iure procedit, ut docet Antonius Gomez *variar. libr. 3. capite 12. numero 13.* & ibi Aillon. Antonius Mathaeus *dict. titulo 15. capite 2. numero 7.* Faber in *cod. lib. 4. titulo 15. definitio 38.* Clarus *quest. 14. num. 1.* Morla in *empor. titulo 11. numero 78.* Farinac. *quest. 59. numero 2.* Giueb. *cons. 43. numero 27.* Caballus *cas. 79. numero 61.* & *cas. 288. num. 64.* & Guazz. *defens. 14.*

cap. 10. numero 5. *cap. 11. numero 14.* Crimen probatum per feminas, si honestæ sint, per idoneos testes probatum esse dicimus. Secus in Regno Valentia, quia per *sal. 7. de testib.* excluduntur à iudiciis criminalibus, ut probat Morla *ubi proxime*, & sic in eo idonei testes non sunt, quod limita ad causas accusationis, sive querelæ partis private, non vero si procedatur per inquisitionem, & ex officio iudicis, ut dixi *dict. cap. 8. §. 8. numer. 299.* quæ distinctio communiter in eo Regno recepta est.

Idem erit si obijciatur esse minorem viginti annorum, quia de iure hæc ætas desideratur per Textum in *leg. in testimonium 20. ff. de test.* pluribus Didacus Narbona in *tract. de stat. ann. 20. quest. 6. num. 5.* Sed iure regio attendit cum ex *leg. fori. canonice per leg. 1. vers. e presentados, titulo 4. lib. 3. ordin. decimum sextum annum completum habens idoneus testis sit*, ut probant Avendaño *respons. 31. num. 8. vers. ex supradictis.* Alphonf. Narbona in *comit. ad 3. part. recopilat. in leg. 2. gloss. 5. num. 21. titulo 25. lib. 7.* & Didacus Narbona *dict. quest. 6. num. 10.* si crimina per majores sexdecim annis probentur, licet minores viginti sint, per idoneos testes probari est tenendum. Sicuti per majores quatuordecim in Regno Valentia juxta expressam dispositionem *sal. 6. de testib.* licet in praxi quoad plenam probationem non sit hæc dispositio recepta, ut dixi *dict. §. 8. num. 219.*

Demum si crimina ista probarentur per socios criminis quantumvis regulariter testes idonei non habeantur, ex *leg. repeti 16. §. 1. ff. de quest. leg. quoniam 11. cod. de testib. leg. ult. cod. de accusat. pluribus Farinac. quest. 43. n. 1. cum seqq. Peguer. decis. 5. n. 37. Trevi. decis. 14. num. 2. Ciaz. *discept. crim. 8. per tot.* Narbona in *leg. 2. gloss. 3. n. 21. lib. 8. recopil. Caball. cas. 187. n. 1.* Guazz. *defens. 32. cap. 8. numero 5.* Castro Palao *tom. 1. vers. 2. disp. 8. punct. 3. numero 6.* Martin. del Río *disquis. magic. lib. 5. cap. 2.* Matthias Berheli *part. 4. conclusio. 4. num. 104.* Anton. Marchæus *dict. cap. 2. num. 4.* Sebastian. Sallè *tom. 1. de offic. sanct. inquisit. lib. 74. cap. 11. regul. 324. ex numero 83.* cum quibus consonat *lex 21. titulo 16. part. 3.* & ibi Gregori Lopez. Tamen in criminalibus atrocioribus, quæ sunt difficilis probatione potius*

battonis, quando veritas aliter adipisci
 33 nequit, difficultate ipsius probationis
 testes alius inhabiles ex juris dispositio-
 ne idonei redduntur & admitti solent &
 debent, cum in his leviora indicia suffi-
 ciant cap. fin. extr. de testib. cogend. latè Fa-
 rin. dict. quæst. 43. numer. 68. cum seqq. &
 quæst. 62. ex numero 73. Gregor. Lopez in
 dict. l. 21. gloss. ad fin. Anton. Matth. d. tit.
 15. cap. 2. num. 4. Ant. Gomez d. cap. 12.
 num. 18. & ibi Aillon, præsertim con-
 currentibus adminiculis coadjuvanti-
 34 bus dictum socii, quo in casu commu-
 niter receptum est testes idoneos esse;
 Decian. cons. 342. num. 3. vers. ista conclu-
 sio, Mascard. de probat. concl. 1147. n. 39.
 Anton. Gomez dict. num. 18. & cum eo
 Aillon, Peguera dict. decis. 5. num. 38. Ca-
 ball. dict. cas. 185. num. 2. Guaz. defenf.
 32. cap. 8. num. 5. Scaccia de jud. crim. lib.
 1. cap. 81. numer. 7. & 8. qui plures addu-
 cunt, juncto Farin. dict. quæst. 43. n. 69.
 cum seqq. præcipue numero 127. Maxime
 si in tortura dictum confirmetur & æ-
 qualiter de se ac de socio dicat, cum in-
 famia purgata remaneat, nec sit suspicio
 35 dixisse in sui exonerationem, ut de
 mente omnium Doctorum Criminalis
 Doctrinæ docet Farinae ubi prox. nu-
 mer. 134. cum seqq. Caball. dict. cas. 185.
 numer. 5. Guaz. d. defenf. 32. cap. 8. num. 5.
 Joann. Bapt. de Thoro in cod. rer. judic.
 cod. 10. num. 17. Anton. Faber in Cod. lib. 9.
 tit. 21. defn. 7. & in not. numero 4. juncta
 defn. 23. Novar. ad prag. Neapolit. tit. de
 off. Magist. just. Collect. 12. num. 16. & 24.
 36 Morla in empir. tit. num. 76. & 79. (quo
 rectam rationem adfert nempe in deli-
 ctis occultis parum curandum de repul-
 sis, quæ personis testium obijciuntur,
 quod pluribus probat.) Alios adduxi de
 dict. cap. 8. §. 8. numer. 215. cum seqq.
 Larrea allegat. 66. numero 26. & allegat.
 96. numer. 15. & 16. Alphons. Narbona
 in dict. leg. 2. gloss. 5. num. 1. & 3. cum seqq.
 Vela de delictis, tit. de mod. proced. cap. 8.
 num. 22. Martin. del Rio dict. lib. 5. dis-
 quis. sect. 3. vers. secundum indicium. Cæ-
 sar. Carena de offic. Sancti. Inquis. part. 2.
 tit. 12. §. 28. num. 228. cum seqq. Fermos.
 de Judic. in cap. cum venissent, quæst. 10.
 num. 17. Castro Palao dict. disp. 8. punct. 9.
 num. 7. & 8. Salelles. dict. regul. 343.
 num. 84.

37 Sic similiter si domestici in testem
 dixeris in his, quæ in reconditis domus
 patrata sunt, idoneum testem domesti-

cum affirmo, cum actu nec habitu alii
 testes inveniri non possint; nam licet ex
 Text. in leg. test. 24. ff. de testib. l. etiam 3.
 cod. eod. improbenentur dicta domesticorum,
 imò & interrogationes, ut pluri-
 bus probat Farin. quæst. 55. num. 7. cum
 seqq. cum factum aliter probari non
 possit, quia in reconditis domus patra-
 tum est; tunc domestici non solum re-
 putantur idonei; verum omni excep-
 tione majores, per Text. in l. consensu cap.
 de repud. leg. quoties cap. de naufrag. lib. 11.
 cap. veniens in fin. de testib. cap. super pru-
 dentia 14. quæst. 2. Farin. dict. quæst. 55.
 num. 35. cum seqq. præcip. num. 50. & 54.
 pluribus. Caball. cas. 282. num. 12. Anton.
 Matth. dict. tit. 15. cap. num. 11. qui us-
 que ad servos extendit conclusionem.
 De jure nostro probat Text. in leg. 1. in
 fin. tit. 16. part. 3. & ibi Gregor. Lopez.
 gloss. 6. leg. 1. tit. 9. & leg. 10. tit. 17. par. 7.
 & ibi Greg. Lopez gloss. 7. & Ant. Gome-
 z dict. cap. 12. num. 21. Bernard. Diaz.
 reg. 259. Palacios Rub. in repet. rub. de
 donat. in §. 12. num. 2. aliis relatis Valen-
 çuela Consil. 28. ex n. 16.

38 Quæ conclusio procedit regulariter
 in quacunque exceptione personis testi-
 tium objecta, si criminis gravitas pro-
 bationisque difficultas interfit: nam ge-
 neraliter quoties probatio regularis re-
 sultat, sive sit ex idoneitate positiva re-
 stium, sive ex privilegio causæ, ex men-
 te legis ejus dispositio subintrat: nam
 cum d. l. 16. de sumptu ex dict. leg. consti-
 tutiones, ff. de appellat. & ex d. l. 2. c. quor.
 appell. ac per consequens ex jure com-
 muni, ejus verba legaliter intelligenda
 sunt, & debent interpretari ab eodem
 jure communi, leg. non possunt 12. leg. non
 39 est novum 26. ff. de legib. probant. DD.
 in juribus, & adducti per Don Hier.
 Leon. decis. val. 1. num. 36. Mendez de
 Castro in pract. fol. mihi 423. Grat. dis-
 ceptat. forens. cap. 15. numer. 22. Menoch.
 conf. 5. num. 28. lib. 1. Castro Palao tract.
 3. disput. 5. punct. 3. §. 2. n. 6. Eleobar de
 utroque foro, art. 6. num. 105. Belluga in
 specul. rub. 38. §. conqueuntur, c. 2. vers.
 sine merito. Portol. ad Molin. verb. forus,
 num. 9. Bardaxi ad Foros Arag. tit. de Pra-
 lar. relig. pers. n. 12. Sesse decis. 339. n. 36.
 tom. 3. Monter. decis. 11. num. 14. Fontanel-
 la de pact. nupt. claus. 4. gloss. 18. part. 2.
 num. 68. & decis. 498. n. 15. quos & alios
 laudavi. de regim. cap. 1. §. 2. numer. 13.
 quibus addendus Excell. Dominus Cres-
 pi

pi observat. numer. 8. per plur. segg. Dida-
 cus Perez in proem. ordin. quæst. 2. per tot.
 Azevedo in l. 1. tit. 1. lib. 1. recopil. Bur-
 gos de Paz in proem. legum Tauri, n. 307.
 Larrea decis. 51. n. 5.

40 Neque his obstat l. 14. tit. 1. part. tit. 1.
 lib. 2. recopil. in vers. Y mandamos, quibus
 cautum reperitur quod dubio aliquo in
 nostris juribus occurrente, deferatur ad
 Regem, cum ejus sit interpretari, cujus
 est condere, juxta Text. in leg. fin. C. de le-
 gib. cum vulgatis. Nam hoc procedit
 41 quando dubium emergens ejus condi-
 tionis est; ut postulet interpretationem
 juris novi inductivam comprehendens
 omnes casus universaliter: nam similis
 interpretatio est ejus, cujus est condere
 jura: secus vero in quotidiana interpre-
 tatione quæ solum respicit casum litis
 de qua agitur; hæc enim non ad Prin-
 cipem, sed ad Judices spectat, ut accu-
 ratè probat Gregor. Lopez in d. leg. 14.
 gloss. 1. & post eum latius Dominus Cres-
 pi d. num. 8. deprompta hæc doctrina ex
 42 decis. Text. in d. non possunt 12. ff. de le-
 gib. Quæ interpretatio amplius com-
 probatur ex verbis d. l. 1. recopil. in vers.
 Empero bien queremos, quo Rex noster
 Alphonsus lege permissum relinquit in
 Regno publicè legi per Academicarum
 Professores scientiam juris Romanorum,
 adhibita ratione, nempe ut subditi &
 naturales erudiantur. Quod certo cer-
 tius est statutum fuisse ad judicandum
 causas quando ad magistratus, & officia
 promoveantur. Frustrà enim providen-
 tia hujusmodi adhiberetur, si in quo-
 cumque dubio usuali (ut ita dicam) con-
 sultendus Princeps esset, absque eo quod
 uti possent scientia legali, quam profi-
 tentur in decidendis causis & inter-
 pretrandis nostris juribus, quod expres-
 sius depromitur ex l. 2. tit. 9. lib. 3. recopil.
 quo cavetur quod nemo Judex esse pos-
 sit, quin jura per decennium professus sit,
 ut probat Azevedo ibid. num. 1.

43 Quibus positis cum d. leg. 16. interpre-
 rari debeat juxta jus commune, bene
 sequitur quod sicut crimina in d. leg. con-
 stitutiones, apposita sunt exemplariter, ut
 dixi num. 4. & enumerata in d. leg. 2. Cod.
 quor. appell. apposita, sic similiter exem-
 plificando sunt, ut probant Ant. Gomez
 d. cap. 13. n. 31. vers. licet illa lex loquatur,
 & pluribus relatis Farin. quæst. 101. n. 116.
 dispositio nostræ leg. 16. partit. non est
 restringenda ad crimina in ea enume-
 rata, sed exemplariter cavisse tenen-

dum est in eis, & generaliter intelligen-
 dum de ceteris, ut cum Gomez, & Cla-
 ro docet Farin. ibid. & post eum Guaz.
 dict. defenson. 35. capit. 11. n. 2.

44 Secundo inferitur quod si crimen hu-
 jus qualitatis probetur concludentur
 per indicia violenta vel vchementia,
 quæ sufficiant ad condemnandum in
 pœnam ordinariam in supremis Tribu-
 nalibus, ut latè probatum scripsi, juxta
 leg. fin. cod. de probat. in 2. tom. reg. d. c. 8.
 §. 8. ex num. 2. cum Don Ludo. Peguer.
 decis. 17. Don Hier. Leon. decis. Val. 125.
 Didaco Sarmiento select. lib. 1. c. 1. Pe-
 rro Barbosa in l. 2. ff. solut. matrim. 1. part.
 num. 87. Farin. quæst. 36. cum seqq. quæst.
 37. ex num. 5. & quæst. 86. num. 111. Cæ-
 vall. com. contr. com. quæst. 37. Caball.
 cas. 228. num. 13. Giurba cons. 15. num. 1.
 & segg. Patre Marquez in Gubern. Chris-
 lib. 2. cap. 17. Novar. ad prag. Neapolit.
 prag. 37. tit. de offic. Mag. Just. collect. 12.
 n. 10. Hieron. Laur. decis. 15. num. 18. Lar-
 rea alleg. 66. ex n. 2. Ansaldo. cons. 128. nu-
 mero 185. Rovit. decis. 63. Joanne Bar-
 tist. de Thor. in com. decis. com. 3. verbo,
 indicia indubitata, & Anton. Matr. d. l. 48.
 tit. 14. c. 1. n. 7. & tit. 15. c. 6. n. 1. quibus ad-
 dendi Ant. Gomez. d. cap. 12. num. 25. in
 fin. Cenedo collect. 62. n. 4. Menoch. de
 arbitr. cas. 279 & 372. Avendaño in d.
 ction. verb. præsumptio, & Thomas Sanchi.
 conf. moral. l. 1. cap. unic. dub. 12. Matienzo
 in dialog. 3. part. cap. 30. num. 5. Escob-
 ar de privit. prob. quæst. 8. §. 1. ex num. 15.
 alius Matienzo in repet. c. asserte, de pra-
 sumpt. Azevedo in leg. 4. tit. 6. lib. recopil.
 numer. 52. etiam probatum per idoneos
 testes dicitur.

45 Nec latet plures Doctores contra-
 rium tenuisse, quos cumulat August.
 Barbof. in add. ad collect. jur. can. in d. cap.
 asserte, & Aillon. ad Gomez. d. cap. 12.
 num. 25. in fin. quibus addendi Giurlin.
 tom. 1. controvers. 10. num. 119. cum seqq.
 Morla in empir. tit. 12. quæst. 1. Cyriac.
 controvers. 80. num. 9. & controvers. 150.
 num. 17. cum seqq. Guazzini. defenf. 33.
 cap. 14. nam illorum doctrina procedit
 in Judicibus inferioribus, non autem
 in supremis tribunalibus nomine Prin-
 cipis judicantibus, attenta facti veritate,
 ut est de mente omnium Doctorum pri-
 mæ sententia, ut tradunt Farin. ubi prox.
 n. 117. Peguera, Leon, & alii quos lau-
 davi d. §. 8. num. 2. & si aliquis adhuc du-
 bitat, et reorum defensionibus fugge-
 tendo potius arguitis, quam juris argu-
 mentis

ments. Cum enim hos in casu indicia sint legitimus modus probandi, ut docet Text. in d. l. fin. C. de prob. & habeantur loco tertium, eisque æquiparentur, non solum in eo Textu, verum etiam in d. leg. 1. C. quorum appell. ibi: argumentis convictus. Ut acutè perpendit Anton. Matth. d. tit. 15. cap. 1. num. 1. in fin. in terminis nostræ quæstionis definitum per Textum remanet, ob quod fatendum erit nequaquam recipiendam esse appellationem; & sic decisum per Aulam sapius, signanter in causa necis & grassationis Petri Lopez librorum mercatoris patrate in itinere de Alcalá, per Franciscum Gonzalez alias *el pelado*, & alios, sententia diei 20. Maii 1661. actuario Hieron. de Antequera. Et in causa Josephi Georgii Correas, inquisiti de parricidio, & adulterio, patrato in Emanuellem Carrasco (de quo infra controvers. 8. cum duob. seqq.) sentent. diei 16. Januarii 1668. Actuario Antonio de Pastrana, qui quidem convicti fuerunt per depositiones duorum sociorum in tortura, cum adminiculis, & condemnati supplicatione remota ad penam ordinariam: & sic in aliis causis.

48 Nec solum crimina contenta in d. l. 16. partit. & quæ eis gravitate æquipolent, de quibus dixi comprehendendi in dispositione, à jure nostro privilegiata reperiuntur, quoad denegationem appellationis, supplicationisve, sed etiam plura, vel quia expressè nostris legibus cautum est, vel quia juris communis dispositiones sequendo: praxis universalis totius Hispaniæ, sic observare solet. Quæ adnotanda breviter sunt, cum à nemine ex nostratibus, meo judicio explicata reperiuntur. In primis se offert blasphemie crimen de cuius gravitate, & pœnis videndi sunt Textus in leg. 1. cum seqq. tit. 18. part. 7. l. 1. cum seqq. tit. 4. lib. 8. recopil. ubi Gregor. Lopez, & Azevedo. Alios plures tradit Vela de pœn. delictor. cap. 4. per tot. & Valenz. conf. 142. ex num. 18. in eo enim appellatio, vel supplicatio rejicienda est, ut docent Azevedo in d. leg. 1. tit. 4. numero 39. Salgado d. part. 3. de Reg. protect. cap. 14. num. 33. quod, ut prælibavi, non sufficienter explicant: nam Azevedo asserit procedere conclusionem si convicti, & confessi rei hujus criminis sint, jux. d. leg. 2. C. quar. appell. non recip. cum enim per jus nostrum correctæ dispositio illius Textus sit, ut satis probatum remanet ex d. l. 16.

ex tit. 23. part. 3. eo ipso quo crimen blasphemie comprehensum est in d. leg. 2. comprehensum pariter est in d. leg. 16. partit. Sed sic est, quod secundum dispositionem legis partitæ sufficit quod reus sit convictus, vel quod si confessus ad hoc ut appellatio, vel supplicatio deneganda sit: ergo apud nos sufficit alterutrum ad effectum prædictum. Nec te moveat doctrina Christophori de de Avendaño in cap. 5. Prætor. num. 27. ab ipso Azevedo relati, quæ dicit admitti appellationem si testes repulsi objectionibus sint. Nam ex ca. traditio nostra non infirmatur, quia quoties objectiones testium probare remanent, reus non potest dici plene convictus, & sic recta cum ratione appellatio ejus recipi debet. Quare quotidiana praxis observat quod si plene de blasphemia per summariam constat, pœnia sequatur ex vi decreti apponi soliti in prima Rei visitatione, hoc unico verbo *emplazamiento* ullo remedio, recuso, vel gratia. Si verò de probatione dubitatur, vel ad defensionem admittitur, vel deliberari à carceribus jubetur, proht negotium expostulat. De qua materia videndi sunt ultra relatos Bobad. in polit. lib. 3. c. 15. n. 11. & lib. 5. c. 1. ex num. 108. Ant. Gonn. 13. c. 1. num. 3. Vela d. c. 4. Canteria in q. crimin. tit. de blasphemia, Gutierrez canonicar. cap. 12. Covarruv. in cap. quævis pactum 1. part. relect. §. 7. num. 8. cum seqq. Bernard. Diaz. in pract. cap. 110. Avendaño de exec. 2. part. cap. 5. & Dominus Don Joan. Bapt. Valença d. conf. 342. ex num. 18. qui plures & plura congerunt.

Deinde quodcumque delictum in officio patratum appellationem non recipit, si sententia sit proprii Judicis, l. 3. C. quor. appell. non recip. & ibi communiter Doctores. De jure nostro Hispano quando officialis punitur à Judice sub cuius manu officium gerit in delictis officii nil innovatum reperio, bene verò quando in syndicato, vel residentia condemnatur, quia eum non sit per proprium Judicem appellatio admittitur quoad devolutivum, non autem quoad suspensivum, Text. in leg. 17. tit. 7. lib. 3. recopil. ubi Azevedo num. 2. Bobadilla praxim de more adducens dicit. l. 5. cap. 1. n. 125. cum seqq. quæ quidem lex correctoria eum solum disponat de sententia lata in syndicato, non extenditur ad latam per proprium Judicem, explicant Aviles in cap.

cap. 9. Prætor. verb. Los castigue, Avendaño ubi prax. Bobadilla lib. 1. c. 13. numer. 37. Solorzano de jur. Indiar. tom. 2. lib. 4. cap. 8. numero 59. & 71. Mastrill. de Magistrat. lib. 6. c. 12. per tot. præcisè 54 pue num. 12. Cujac. in repet. tit. C. quor. appell. vers. præterea si Apparitor. Donell. lib. 28. comment. c. 6. & ibi, Illiger. lit. M. Farin. de quæst. 101. n. 83. & seqq. Scacc. de appellat. quæst. 17. limit. 16. num. 1. & seqq. Guazzin. defens. 36. c. 10. num. 3. & 5. Salgado d. part. 3. cap. 8. ex numero 3. Amaia in l. 2. Cod. de exactor. lib. 10. ex num. 30. Xamar. de offic. jud. part. 1. q. 14. num. 50. Alphonf. Narbona in leg. 20. tit. 1. lib. 4. recopil. gloss. 20. num. 9. & sic observatur in Aula quoties delictum in officio per proprios Ministros patratum est, ut fuit decisum in causa necis Emanuelis Carrasco, qua Franciscus Robledo Apparitor, & Petrus Marton Scriba, complices in occultatione intentata delicti, fuerunt condemnati in pœnam relegationis, sive præsidii cum executione, supplicatione non obstante, sententia diei 29. Martii 1667. Actuario Antonio de Pastrana. Si verò crimen non pendet ab officio, sed est ex communibus, & ab officiali patratum tamquam à privato, supplicatio admittitur: sic decisum in causa necis Alphonfi Sanchez, de qua accusati fuerunt Franciscus de Nieva Apparitor, & Franciscus Bonferin, Scriba qui sententia diei 21. Junii 1660. condemnati fuerunt in pœnam extraordinariam, & supplicatione admissa, fuit causa terminata per sententiam diei 21. Julii ejusd. anni. Actuario Alphonfo de Castro; & in causa necis Baptistæ Belarde Apparitoris de qua accusatus fuit Emanuel de Paramo Scriba, & supplicatio illius fuit recepta; si verò officialis non sit ex familia Aulae pariter admittitur, licet delinquat in officio, sicut observatum fuit in causis Hieronymi Madrigal, & Joannis Perales Scribarum de numero hujus villæ, & in causa Alphonfi de Valdes Apparitoris villæ ipsius, & in plurimis aliis.

55 Notorium crimen appellationem minime recipere probat Text. in cap. pervenit, de testib. cap. consultius 14. de appell. & ibi communiter Doctores, de jure nostro Text. in leg. 3. tit. 18. lib. 8. recopil. Docent Clarus q. 94. num. 2. ubi Bajard. Farin. quæst. 21. numero 17. cum seqq. & quæst. 101. num. 60. & 124. Scaccia de appell. quæst. 17. limit. 4. & de judiciis, lib. 1.

cap. 97. numer. 119. Anton. Gomez d. lib. 3. c. 1. numer. 47. ubi Aillon Azevedo in d. l. 3. num. 7. Barbosa in collect. d. c. consultius 14. num. 2. Salgado d. c. 14. num. 47. Belluga in specul. Rub. 11. §. compendioso, n. 11. Morla in empor. tit. 2. quæst. 2. num. 15. Diana resol. moral. 3. part. tract. 5. resol. 8. Fragofo de reg. resp. l. 1. l. 5. disp. 12. §. 4. num. 125. Bobadilla d. cap. 3. num. 85. Thoro in Cod. cas. 25. num. 55. Caballus cas. 262. num. 13. Guazz. d. defens. 36. c. 9. Anton. Mathæus lib. 48. ff. tit. 15. c. 1. num. 1. de quibus aliqua dixi 2. de regim. c. 8. §. 9. numer. 82. Sed quia multa dicuntur notoria, quæ in effectu non sunt, ut docuit Alexander Pontifex in dicit. c. consultius 14. ut notant Gloss. & Barbosa ibid. rarissime evenit casus in quo ratione notorietatis procedendum sit juris ordine non servato: & sic rarius in usu venit similis doctrina in praxi, vel hujus dispositionis legitima applicatio. Licet enim in foro coram multitudinem, vel in ipso tribunali in conspectu Judicis delicta patrentur, semper Judici uti Judici de crimine constare oportet, ut accuratè docuit Belluga d. n. 11. & post eum Ant. Gomez d. c. 1. num. 44. Bobadilla d. num. 85. Salgado d. c. 14. num. 50. & Barbosa in d. collect. num. 7. Ob quod tutius erit ordinem juris in reliquis servare, licet à jure & Doctores docerant servandum non esse. Ego enim dum hæc scribo per viginti quatuor annos expertus loquor in judiciis criminalibus, tredecim in Regno Valentia, in quo delicta atrocissima frequentissima sunt, decem & amplius in hac Curia, Hispaniæ totius emporio; & quanquam aliqua maleficia patrata vidi notoriè, nunquam sine ordine Judicii alicum condemnandum decrevi. Et si aliquando per superiores executionem pœnæ capitalis ad effectum deducere vidi, nequaquam sine querelis partis, vel provincia, etiam ad Principem transmissis, qui licet utilitatem publicam resultantem credidisset, minime tamen hujusmodi executiones approbavit. In hac enim Curia solum detestandum crimen commissum in atrio Regii Palatii per Anglam Cloner die 14. Julii 1666. hora 10. matutina regium satellitem proditoriè cum instrumento manuali sulfureo coram copiosissimo Curialium concursu necando, præ manibus habui, quo in casu meo judicio concurrerant cuncta ad proba

probationem criminis notorii necessaria, sive requisita, & nihilominus nunquam in mentem venit à juris ordine in procedendo recedere, sicque causam per suos debitos tramites substantiatam & eodem die legitime conclusam reliqui, ut per Aulam die sequenti decideretur. Sed prohi dolor! tantum facinus impunitum evasit sub pretextu immunitatis Ecclesie, quam toto jure refragante, consecuta fuit.

61 His adde duos casus ex inveterato Curie stylo praxi receptos, quoad executionem remora supplicatione. Primus est quoties tortura questio decernitur; licet enim de jure definitum reperitur quod à decreto de torquendo detur appellatio, Text. in leg. 3. ff. de appell. recipiend. & ibi communiter Doctores, & de jure nostro leg. 13. tit. 23. part. 3. ubi

62 Gregor. Lopez. Ant. Gomez. dict. lib. 3. var. cap. 13. ubi Aillon plures referens, Farin. quest. 38. numero 11. cum segg. Vela de modo proced. in delict. cap. 9. n. 10. & Salgado de reg. protect. part. 2. cap. 1. n. 98. qui plures laudant. Tamen cum tortura adhibeatur ad eruendam veritatem, quæ ratio potissima est tanquam cedens in utilitatem publicam, quæ versatur in delinquentibus compescendis, communiter receptum est torturam exequi posse non obstante appellatione, supplicationeve, præsertim in Supremis Tribunalibus judicantibus nomine Principis. Nam dict. lex 2. non absolute jubet recipiendam appellationem esse, sed limitative, casu quo contra legem imponatur: sic enim loquitur Scævola in eo Text. ibi: si contra leges hoc faciat, & sic similiter noster Alphonsus locutus fuit in dict. leg. 13. ubi: dar tormento a algano, à tuerio. In supremis enim

63 Tribunalibus cum causæ per gravissimos viros ad amissum examinentur, magno adhibito studio, nunquam tortura decernitur contra legem, vel deficientibus legitimis iudiciis, & sic praxi receptum est, ut decretum de torquendo in scriptis non apponatur usque dum reus adductus fuerit ad locum destinatum, quo comminationes ei faciendæ sunt, qui est immediatus loci torturæ. Sic de suprema Curia Lutetie Parisiorum testatur Papon. l. 24. tit. 9. Arrest. 13. probant Clarus quest. 64. numer. 27. in fin. Bajard. ibid. num. 85. Belluga in speculo, rub. 37. num. 4. ad fin. vers. bene vero. Petr. Greg. Tolos. synagm. jur. lib. 28. c. 12. n. 10. in

64

65 fin. Flam. Carrat. in pract. interrog. reor. lib. 4. c. 1. num. 75. & segg. Casar. Caren. de inquis. 3. part. tit. 14. num. 4. Scaccia de appell. quest. limit. 47. membr. 1. n. 149. & de iud. d. c. 97. numero 57. Farin. d. 4. 38. numero 23. Bobadilla dict. c. 3. n. 19. & lib. 2. c. 21. num. 157. quorum plures tradunt communi interpretum calculo receptum esse appellationi frivole non esse deferendum. Ob quod si frivola videatur Judicibus inferioribus, non rejicitur autoritate propria, sed decretum cum executione non obstante pronuntiatur, consultâ prius Aula suprema criminum, ut moris est; in Aula vero sive in plenario, sive in summario adhibenda sit, praxis ea est ut postquam deliberatum remanet reum torquendum esse. Præfectus Curie qui causam instruit in eo loco comminationibus deputato decretum de torquendo pronuntiat, injungi reo statim jubeat, & illico ad comminationes & ulteriora progrediatur. Neque inepta similis praxis, aut injusta viro cordato videri poterit, ut opinabatur Scaccia dict. c. 97. n. 59. nam tutelarem habet sapientissimum Ant. Fabrum. in Cod. lib. 9. tit. 21. defens. 12. Ea consideratione superaddita, nempe tot fraudes, & technas per reos preparari ad obnubilandum criminum probationem, totque poculis sive incantationibus preveniri non tortura debitorum effectum fortituri quot memorat noster Torreblanca de jur. spirit. lib. 11. cap. 20. per tot. si enim in scriptis decretum apponeretur, & publicè, atque palam notorium fieret reo, ejusque procuratori, vix fraudes atque cavillationes memoratæ vitarentur, quod ferendum non est, ob quod consultatio Judicis inferioris secretè fieri solet; decretum vero Aula non scribitur nisi tempore quo executio torturæ fermè cæpta est.

66
67
68
69
70
miam

71 miam Arunculus tuus pertimescat icibus sustium subjectis ob crimen questione habita, notant glossa & Gotofr. ibid. Donnellus lib. 18. comm. cap. 8. & ibi Illiger. littera S, sic pariter de jure Canonico, cap. Circumcelliones 1. 23. questione 5. & de jure nostro leg. 1. titulo 30. part. 7. & ibi Gregor. Lopez. Ad ignominiam: nam, more Romanorum quicumque ad crucem ducebatur, flagellis cadebatur in ipso ductu, ut memorat Justus Lipsius de cruce, libro 2. capite 2. sed frequentior usus ad poenam in abjecta fortis hominibus leg. capitalium 28. §. non omnes. ff. de penis Et nota differentiam verborum: nam aliud erat sustibus cædi, aliud vero flagellis: Sustibus enim liberi, cadebantur, flagellis vero servi, leg. in servorum 10. ff. de penis, ibi: Ex quibus causis liber sustibus caditur, ex his servus flagellis cædi, & domino reddi jubeatur, leg. fin. ff. de injuria, ob quod flagella, verbera servilia vocabantur, ut in leg. in metallum 10. ff. de jur. fisci, ibi, verberibus servilibus coercetur, meminit hujus distinctionis post Accursium & Gotofredum dict. leg. 10. Lipsius dict. libro 2. de cruce, capit. 3. Demum sustium poena modica coercitio erat; flagellorum vero atrox, & eruenta l. Prætor. §. 2. ff. de injur. leg. sed si hac 10. §. Prætor ait, in fin. dict. leg. veluti 7. ff. de penis, l. si quis erit. 11. ff. de offic. Procons. notant Brisson. 3. selector. cap. 9. Cujacius libr. 54. Pauli ad edict. in leg. 4. ff. de incend. ruin. & naufrag. Dionys. Gotofred. dict. leg. in metallum 12. ff. de jur. fisci. Illiger. ad Donell. ubi proxime lit. 7. Apud nos enim in usu sustigationis poena est quoad plebeias personas, pro criminibus etiam levioribus, ut de jure Gothico in l. 16. titulo 1. libro 2. for. jud. De jure partitarum in leg. 18. tit. 14. leg. 2. tit. 19. leg. 11. tit. 24. leg. 2. & 5. tit. 26. leg. 4. tit. 28. part. 7. De jure autem novæ republicationis in leg. 1. & sequentibus titulo 14. libro 5. leg. 5. titulo 10. leg. 2. §. 6. & plurib. aliis tit. 11. libro 3. recopil. & quanquam Azevedo & Matienzo in dict. leg. 1. tit. 14. lib. 5. teneant ex hac poena infamiam irrogati, ob quod nobilibus imponi nequit; nihilominus eum ad correctionem imponatur, ut probat de jure civili Text. in dict. leg. veluti 7. ff. de pen. ibi: sustium admoni D.D. Laur. Matthæu, de Re Crim. Pars I.

72
73
74
75
76
77
78
79
rio: De equitate canonica Text. in dicto capite, Circumcelliones, ibi: sed virgularum verberibus erasit: qui modus coercionis, & à Magistris liberalium artium, & ab ipsis parentibus, & sepe etiam in judiciis ab Episcopis adhiberi, & de jure nostro in d. leg. 18. titulo 14. part. 7. ibi: Escarmentar a los furtadores publicamente con feridas de açotes. Verbum enim escarmentar dicit correctionem in idiomate Hispano, ut probat Sebastianus de Covarruvias in thesaur. verbo escarmentio, Latine coercere, Cicero. 5. in Ver. unius improbi supplicio multorum improbitatem coercetis. Ex quibus clarissime sequitur appellationem non esse recipiendam cum ea quæ ad morum correctionem dirigitur, eam non recipiant, ut cautum reperitur per Tridentinum cap. 10. sess. 24. de reform. & ibi Augustinus Barbosa, plura colligens Scaccia de appellatione. questione 17. limit. 16. per totum Salgado de reg. protect. 2. cap. 15. ex numero 50. qui numero 54. plures laudat: conducit mirabiliter ratio decidendi Modestini in dict. leg. constitutiones 16. ff. de appellat. ibi quos damnatos, statim puniri publice interest: cum enim apud nos in substantia modica verberum coercitio sit; non enim virgis, vel plumbeatis verberibus rei caduntur, ut apud Romanos servi castigabantur, vel Martyres de quibus Ulpianus in leg. aut damnatum §. nec ea, ff. de penis, leg. quilibet 40. Cod. de decurion. lib. 10. pluribus Amaia in leg. 2. Cod. de exactor. tribut. eodem libro 10. numero primo & sequentibus. Neque virgis, de quibus Modestinus in leg. poena parricidii 9. in prin. ff. ad leg. Pompei de parricid. Antonius Marchæus dict. l. 48. ff. tit. 6. cap. 2. num. 3. Solorzano de parricid. libro 1. capite 11. per totum, Sed tantum modicè corrigia vapulent, ut fiebat in liberis fuste castos; clarè colligitur ad correctionem poenam hanc usi receptam, ac per consequens executionem instantaneam postulare, non obstante appellatione, vel supplicatione. Nec acerba, sive atrox similis poena reddi potest ob infamiam subsequenter, ut diximus cum Azevedo & Matienzo. Nam infamia non irrogatur ex poena, sed ex causa leg. icibus sustium 21. Digest. de his qui not. infam. quo Marcellus

hæc verba scripsit: *ictus fustium infamiam non importat, sed causa propter quam id pati meruit, si ea fuit qua infamiam irrogat, leg. infamem 7. ff. de public. judic. leg. ad tempus 5. leg. eos qui 12. ff. de Decurion. leg. 4. §. ad tempus, ff. de re militar. leg. fustibus casum 16. C. ex quibus caus. infam. irrogatur. Rebus. tractat. de reprob. test. numer. 224. Gregor. Lopez in leg. 5. titul. 6. part. 7. gloss. 12. & 14. Valenzuela conf. 91. numer. 23. plura de materia per Amiam in leg. unica, Cod. de infamib. lib. 10. Et licet ordinari in reos plebeie conditionis imponatur ex leg. fin. tit. 18. & leg. 2. tit. 19. part. 7. Matienz. in dict. leg. 1. gloss. 6. numer. 4. & Azvedd ibid. numer. 5.*

80 Tamen cum Aula nostra supremam jurisdictionem in criminibus exercent, similem Præfecto Prætorio, ut dixi *controverf.* 1. num. 91. si crimen, mereatur, in nobilibus, vel in honore constitutis posse imponi mihi probat Text. in leg. quilibet 40. Cod. de decurion. lib. 10. juxta traditionem Amiae in leg. fin. cap. 2. num. 17. eod. tit. quod rarissime fieri debet & tantum in his criminibus per quæ nobilitatis privilegia amittuntur juxta Text. in leg. Judices 12. Cod. de dignit. lib. 12. Bellug. in specul. Rub. 31. num. 5. Dominus Ctespi observat. 13. numer. 30. sive ut explicat nostra lex 24. titul. 21. part. 2. ibi: *fechos que facen los omes de vil coraxon*: de quo videndi præter relatos Gregor. Lopez in l. 2. tit. 30. part. 7. Covarruv. variar. lib. 2. capite 9. numero 3. & 4. Orlora de nobil. 5. parte, capit. ultim. numero 4. Azvedd in leg. 1. titul. 23. lib. 8. recopilat. numero 54. Garcia de Nobil. gloss. 1. numero 8. cum sequentibus, Tiraquell. de Nobil. capite 20. ex numero 108. [Fatinacius questione 98. ex numero 113. Cabal. cas. 98. numero 13. & 23. Valenzuela dict. conf. 91. num. 22. & 51. apud quos plura.



CONTROVERSIA III.

De Relationibus sive Consultationibus qua fieri solent in suprema Aula criminum per Judices inferiores, ut sententia eorundem executioni mandentur remota appellatione.

SUMMARIUM.

- 1 Appellatione interposita Index à qua supersedere debet quoties superior de negotio incipit cognoscere.
- 2 Judices inferiores cum sententias ferunt in criminibus exceptis ne executio fiat elusoria per recursum, relationis medio uti solent.
- 3 Consultationis ad superiorem origo ad Deum referenda.
- 4 Graves cause superiori consulenda. faciliores per Judices judicanda inferiores.
- 5 Regibus causas audientibus difficiliores, Dei assistentia conceditur.
- 6 Summi Pontifices gratis auribus consultationes expediunt.
- 7 Cause graves Pontificibus reservata.
- 8 Consultationes in causis gravioribus jure civili usu frequentes.
- 9 Personarum illustrium cause Principi referenda.
- 10 Quid de jure nostro in Regno Castellæ.
- 11 Quid de foro Valentia.
- 12 Defectu potestatis in judice, causa referuntur ad Principem.
- 13 Defectus potestatis quoad executionem sententia causa est hujus relationis.
- 14 Exempla hujus relationis proponuntur.
- 15 In reservatis per Principem consultatio necessaria est.
- 16 Judex dubitans de pena consulere Principem debet.
- 17 Judex dubius in facto ineptè Principem consulit.
- 18 Judex dubius de jure legitime Principem consulit.
- 19 Consultatio Moysi in causa filiarum Salphaad approbata per Deum.
- 20 Appellatio à consultationibus Judicium non admittitur.

21 Con

- 21 Consultationes in omnibus rectum regimem spectantibus, frequentissima sunt.
- 22 Gubernationis ratio uni reddi debet.
- 23 Consultationes in judicialibus raro fienda.
- 24 Consultationes in judicialibus jura nostra approbant.
- 25 Consultationes quoad factum pariter.
- 26 Consultatio permittitur ad ipsum Principem, quando aliquid non plene instructus jubet.
- 27 Consultatio hæc fieri potest, in exemptione Jusforum per Principem supersedendo.
- 28 Consultatio que fit, ob reverentiam superioris, ad quem spectat cognitio appellationis.
- 29 Consultatio ob reverentiam quibus in casibus facienda venit.
- 30 Consultatio inferioris ad superius Tribunal frequens usu est, in Regis Prætoris, in Aula suprema criminum, & in ipso Consilio.
- 31 Consultatio hæc instituta reperitur à jure, & n. 30.
- 32 Consultationis hujus praxis apud Hispanos.
- 33 Consultationis decreta à superioribus provisa juxta stylum.
- 34 Lex 11. titul. 22. partit. 3. expenditur, & num. seqq.
- 35 Doctrina Bobadille quoad hæc decreta, explicatur, & exornatur.
- 36 Praxis hujus Consultationis an extendatur extra Prætoria.
- 37 Dubia circa hujusmodi praxim proponuntur.
- 38 Quando sit casus pronuntiandi, quod causa veniat per suos tramites, vulgo vengra por su orden.
- 39 Arbitrium Judicis quantumvis supremi, regulandum venit secundum rationem.
- 40 Rationes juris ex quibus pronuntiandum venit quod causa ducatur per suos tramites.
- 41 Cause retentio ex quibus procedat.
- 42 Cause abdicatio ab inferiore regulariter prohibita.
- 43 Arbitrium superioris quoad retentionem causarum ex lege procedit apud nos.
- 44 Devolutio causa ad inferiorem consulentem quando procedat.
- 45 Appellationi frivolæ nunquam est deferendum.
- 46 Sententia continens plura capita, an dividi possit in his consultationibus.
- 47 Continentia causa dividi nequit.
- 48 Complicatio causarum operatur, quod si una sit appellabilis, & alia non, amba appellabiles remaneant.
- 49 Sententia continens plura capita, dividi potest in consultatione.
- 50 Sententia tot sunt, quot sunt capita, vel quot sunt rei.
- 51 Sententia in criminalibus dividuntur.
- 52 Sententia dividua esse potest, quoad eundem reum.
- 53 Separatorum separanda semper est ratio.
- 54 Cause continentia in criminalibus non datur.
- 55 Causa eadem potest producere diversos effectus.
- 56 Rubrica de quibus rebus ad eundem Judicem eatur quando procedat.
- 57 Clericus & laicus simul delinquentes non puniuntur ab eodem Judice, sed unusquisque à suo Judice.
- 58 Continentia causa individuitas quando procedat.
- 59 Jura divisionem ejusdem cause comprobantia in diversis reis.
- 60 Decisiones hujus consultationis tam in Aula quam in Consilio.
- 61 Tortura in negante purgat culpam, & minuit penam.
- 62 Minor viginti quinque annorum leviter puniendus.
- 63 Sententia capitales per Aulam pronuntiate quarum executio sequenda est, Regi consultari debent.
- 64 Praxis hujus consultationis.
- 65 Ratio instituenda hujus observationis.
- 66 Consultatio hæc fieri est assuetæ, quando Princeps residet in Curia; secus si absens sit.
- 67 Consultatio hæc si Princeps impediatur valetudine, aut alia de causa ob quam Audientiam publicam dare nequit, fit mediante Præside Consilii.
- 68 Consultatio hæc solum usu recepta est quoad causas in nostra Aula terminatas.
- 69 Consultatio hæc non est usu recepta quoad causas diffinitas per Judices inferiores, licet sententia confirmata sint per Aulam, aut per Consilium.

D.D. Laur. Mattheu, de Re Crim. Pars I.

C 2 70. Si